



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apodixes, Sive Demonstrationes Tres Horrendarvm Blasphemiarvm Ecclesiae A Calvino Reformatae, Circa tres primos Symboli Catholici Articulos

Bosendorf, Hermann

Monasterii VWestphaliae, 1608

Capvt VIII. Mendacia Prædicantica circa hanc thesin.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35415

sustineat, Non sit vel fustium copia satis ampla, vel inopia è multis pecuniarum, si hæc pœna introducantur in Christianismum contra Calvinianos.

CAPVT VIII.

Mendacia Prædicantica circa hanc thesim.

ITa est, vnum existit tota Apologia Vortiana quasi farcimen conuitijs mendacisq; confertum, & ad illud caput poterant omnia vti hæcenus vidisti, Lector, referri. Sed æquum non est ijs numerandis pretium temporis impendere: Satis est superque si quandoque per interualla ex ijs aliqua subijciamus tuis oculis, quibus calumniatorem Prædicantem manifestæ falsitatis cum impudentia malitiâq; extrema coniunctæ damnes.

1. Mentitur art. 3. §. 37. *Quod Pontifex Romanus sit sedens in templo Dei tanquam Deus. Sedet vt Dei vicarius, & seruus seruorum Dei.*

2. Mentitur §. 40. *Cum negat Calvinistas vel tantillum de laudibus Sanctæ Mariæ detrabere. Detrahunt plus quam Mahometani, dolorem partus aliaque ei affingentes, vt ostensum est modo.*

3. Mentitur ibidem, *Mariam putari à Catholicis impeccabilem. Peccare pro arbitrij sui libertate, & ab intrinseco potuit, sed vt peccaret, Deus Spiritus sancti donis auxilijsque eam præueniens & subsequens, non permisit.*

4. Men-

4. Mentitur §. 41. *De omnibus p̄ys scriptū, quod & peccato originis impliciti fuerint, & actuali peccato leuiter interdum se macularint.* Vbi enim (vt relinquamus D. Virginem) per scriptum Ioannem Baptistam actuali peccato fuisse inquinatum? peccasse quandoq; non diffiteor, peccati vero redargui vsquam in scripturis singulatim inficior. Esto interim vniuersales quasdam dari propositiones, sed eæ exceptionem patiuntur, cum nulla regula tam sit firma, à qua non quandoq; aliquid excipias.

5. Mentitur tripliciter §. 42. cum corollarium primum thesis 17. *triplex ait esse mendacium, & optat vt comprimat Deus os impudens.* Nā quid verius quam quæ in illo corollario dicuntur? Nonne Christus conceptus est de Spiritu sancto? nonne per conceptionem factus est mediator Dei & hominum, subiectusq; Patri cœlesti secundum Caluinum, quando ex æquali inferior est effectus diminutusq; quoad gloriam? de quo supra Nonne ex non virgine natus est, qui virginitatis claustris disruptus genitus est? Hic operæ pretium est, obseruare in Prædicante spiritum vertiginis, qui (vt solent vertiginosi) cum ipse sibi mente nō constaret, alios putauit rapi vertigine, nec intellexit germanica ista. *Der empfangen ist vnd seiner Glory beraubt von dem H. Geist / geboren auß Maria nicht Jungfrauen.* id est, qui conceptus est de Spiritu Sancto, spoliatusque
ab eo

ab eo gloria, natus ex Maria non virgine. Hæ-
 fit Prædicans & pro cōceptus putauit primum
 legendum concepitus. putes oblitum fuisse
 symboli Apostolici: post vero sic ineptit. Si à
 Spiritu S. est conceptus, ergo nō per eum glo-
 ria spoliatus est. O lithinum, ó farcimineum a-
 cumen. Euolue Chryssippe has propositiones
 prædicanti, vt eas intelligat: Si Christus per
 conceptionem de Spiritu S. factus est Media-
 tor Calvinisticus (quo maior est Pater, vt Apo-
 dixi 2. ostendimus) Ergo Christus opera Spi-
 ritus sancti minor Patre est effectus: & quod
 idem est, spoliatus est à Patre æqualitatis glo-
 ria, quam habuit ante sæcula. At Christus per
 conceptionem de Spiritu S. Calvinisticus Me-
 diator est factus, ergo etiam opera Spiritus
 sancti minor patre est effectus. Adhuc Præ-
 dicans stupes & non intelligis, quid colliga-
 tur?

6. Mentitur oppido pudendè §. 46. scribens
 idololatriam manifestā in Maria præposterè
 colenda pro Dea à Papistis exerceri. Ortho-
 doxis Maria mater Dei est lectissima, non Dea,
 pro matre Dei honoratur, & colitur, non pro
 idolo. Vide Canisium in opere de S. Maria.

7. Mentitur §. citato. Christo corpus incor-
 poreum & immensum affingi. Neq; enim cor-
 pus incorporeum esse Catholicis Doctoribus
 potest, sed quicquid corpus est corporeum il-
 lis est, nec quod certis locorum spatij fini-

§ tum

tum est, infinitum illis in scholis Philosophicis Theologicisq; dici solet.

8. Mēitur §. 43. Christi officia creaturis mortuis à nobis tribui, atque adeo frustulo panis. Christus per seipsum nobis Mediator est, alij vero per Christum & eius merita, ipseque est qui adoratur sub specie panis.

9. Mentitur ibid. Mariam mortuam adorari à Catholicis. Viuit virgo Maria in caelis, & te etiam iudice vt minimum viuit eius anima immortalis, potestq; intelligere, velle, intercedere pro alijs, sicut potuit, quando erat nobiscum in terris. Nec hæc latriæ cultu adoratur, sed vt Dei creatura honoratur.

10. Mentitur ibidem ad Mariam, vt omnipotentem Dominam accommodari totum Davidis psalteriū. Ornatur quidem vt Christi genitrix & sponsa, psalterio non nihil ad alium sensum deflexo. At vt Dea quædam omnipotens nequaquam adoratur, quibus tamen titulis Calvinianæ mulieres honorantur. Sic enim Aschamus inter Epistolas fol. 255. ad Elisabetham caput & Papissam Ecclesiæ Calvinianæ dum viueret.

*Salve Diua tuæ patriæ decus, optima salve
Princeps Elisabetha, tuis Dea magna Britannū,
Pande tuis iam fausta noui noua tempora secli.
Cuius imperium placidū, mundumq; benignum,
Latq; temporibus nostris da tempora Diua
Tu Britonum tu sola salus, tu sola columna.*

Præ

Præ hac Apotheosi & adoratione Caluini-
 stica iocus est Ecclesiæ Catholicæ Hymnus:
 Salve Regina, & quicquid est aliarum sacra-
 rum cantionum. Ecce enim Elifabetha nõ Ba-
 ptistæ mater, sed Henrici VIII. Anglorum
 regis filia, caduca & exul in hoc mundo fœ-
 mina, mulier morbis mortique obnoxia, Di-
 ua est, imo Dea, & quidem magna Dea, quæ
 consors imperij diuini, vna cum Deo & fau-
 sta noui noua tempora sæcli pandit & læta
 dat tempora Caluinianis ausis. Hæc est non
 tantum vita, dulcedo & spes afflictæ rei Sa-
 cramentariæ, sed excluso, vt verba sonant,
 Christo est sola salus & sola columna. Hæc
 meus vel nescit vel nescire se mentitur Præ-
 dicans, solum in ore illius est: Salve Regina,
 at: o Elifabeth salve Diua tuæ patriæ, vt sur-
 dus non intelligit: sola peccat Ecclesia
 Catholica cum canit Vita, dulcedo, &c. at
 non peccat synogoga Caluiniana cum iubilat
 exultatque canens: Tu Elifabeth, tu sola salus
 tu sola columna. Quod si hæc, vt delicias poë-
 tarum, tibi libet excusare, cur totam antiqui-
 tatem in suis illis melodijs non pudet culpa-
 re? cur non vt in tuis hæc tanquam lepidè,
 pulchrè, diuinè dicta laudantur, ita in Ca-
 tholicis (si non aliud) saltem tolerantur? Sed
 huc cœcitatæ furor Caluinisticus præcipitat
 hunc Caluangelij præconem, vt non videat
 suos si qua est noxa in verbis, grauiori culpa

constringi, & proinde non aduersarios, sed
 suos etiam à se grauius perstringi, nō iam tan-
 tum à fustuario Turcico, sed etiam à furore
 Poëtico (propter entusiastā Calvinianos im-
 merito castigatos) sit ipsi pertimescendum.
 Sed hæc hætenus pro thesibus stulto secun-
 dum stultitiam sint respōsa, cui tamen ex ani-
 mo precamur, vt resipiscat, agnoscatq; amen-
 tiam quæ eum rapit transuersum à veritate Ap-
 postolica, Catholicaq; religione, in qua
 vna & sola saluus fieri
 potest.

F I N I S.

Errata sic corrige.

Pag. 3. l. 22. Libertinarius, leg. Libertin Atheus. p. 4.
 in margine Calvinista. p. 12. l. 8. Item, pro idem. f. 14.
 l. 5. atheus. p. 22. l. vlt. lege Ad damus. f. 54. l. 8. leuissi-
 mis. p. 67. l. 20. exitium. p. 68. l. 6. opprobrat. p. 80. li. 14.
 Concilioe. p. 81. li. 11. lege concupiscentia. p. 94. li. 29.
 existendi. p. 95. li. 4. esse in illa. p. 123. l. 14. lege vibiam
 vara. fol. 131. li. 11. oberrare & li. 25. Probabilis & f.
 135. li. 2. dele Foxus. p. 157. li. 27. Sathana. p. 170. f. 2.
 lege coniectura. p. 171. li. 12. hæc responsio. p. 186. li. 17.
 lege iste. fol. 88. li. 9. carpere. p. 192. li. 26. quiritem.
 fol. 199. li. 17. lege quo & eadem li. redditurus. p. 221.
 lin. 2. adde & lege omnes non sunt. p. 223. li. 20. curat.
 p. 224. li. 10. ὁμοούσιον. fol. 245. lin. vlt. in ea. fol. 261.
 lin. vlt. pro & lege ex. p. 296. lin. 16. κεχαριτωμένῃ.